TOMI III. PARS III.

DE REBUS BRIGITTÆ.

SUperioribus tribus sangvineis *mollior* aliquanto *liticula*, & feminea affectione *mitior* atque *benignior quæstio* nova, in Constantiensi Concilio mota, *Brigittica* scilicet, *de Visionibus divinitus menti illabentibus.* Quæ res sua teneritudine Johannem Papam 23. in Concilio adhuc existentem movit, ut *Brigittam* defunctam *inter sanctas* solennissima festivitate pro sua in sanctas devotione collocaret. Neque tamen *viri* defuere in Concilio, qui *nimiam* judicarent *religiositatem canonizandi* ac sanctarum dearumve numero adscribendi. Quod masculum pectus viris in Concilio monstravit *Gerson.*

Canonizationem verò *Brigittæ* à Johanne 23. haud longe ante fugam è Concilio, die Purificationis Mariæ, 2. Februarii A. 1415. magna cum pompa fuisse celebratam, ex *Tomi IV. Actis* constabit. Satis erit hic dedisse *judicium Gersonis de Brigitticis* æqve ac aliis jactatis *visionibus* novisq; & peculiaribus *revelationibus.* Quib' illa ætas præ aliis omnibus inclaruit. Ita ut plures eruditi viri ancipites hærerent, dubii in quam concederent partem. Plura harum rerum suggessit exempla *Johannis Nider, Theologus Basileensis*, in sua *illius temporis Historia*, à SERENISSIMO DUCE novissime in lucem revocata.

Conferri autem cum cum præsenti opusculo in Concilio edito poterit & alterum ab eodem *Gersone* profectum, *De discernendis veris visionibus à falsis.* Sed en Gersonis censuram in Concilio proditam.

JOHANNIS GERSONIS
Cancellarii Parisiensis
Dissertatio
De Probatione Spirituum
Deq; Visionibus ac Revelationibus novis caute dijudicandis.
Occasione Canonisationis Brigittæ
In Constantiensi Concilio A. 1415. die Augustini edita.
EX MSCTO CÆSAREO VINDOBONENSI.

Consideratio I. Difficile esse negotium judicare de visionibus

PRobate Spiritus, num ex Deo sint, jubet discipulus ille, quem diligebat Jesus. Neq; enim nesciebat illam Coapostoli sui sententiam: *Angelus Satanæ transfigurat se in Angelum lucis*, sic ut fiat Dœmonium meridianum, dum pro tenebris erroris, quas ad tempus celare permittitur, lucem veritatis claram se fingit offerre. Prout hoc apud sanctum Martinum visibiliter patet, apud alios plurimos invisibiliter. Dum, teste veritate, sub specie magni boni & ardui, grandia peccata operit, suggerit & inducit.

Probare Spiritus, num ex Deo sint, non cuilibet datum est, sed aliquibus per spiritum Sanctum, qui unus existens divisiones gratiarum distribuit singulis, prout vult, ad ædificationem corporis Christi, quod est Ecclesia, quæ nunquam deficit in necessariis. Sicut igitur non omnium est prophetare, nec omnium evangelizare, nec omnium interpretari sermones, sed ex aliquorum officio, usque in finem seculi: Sic non omnium est probare spiritus, si ex Deo sunt, sed quibus datum est, quales sunt spirituales, quos unctio docet de omnibus, qui & de omnibus judicant etiam inter diem & diem. Quale donum beatus *Martinus & Antonius* & plures alii leguntur habuisse.

Probare Spiritus, num ex Deo sint, contingit

Consid. 2. De tribus modis ac viis examinandi visiones.

tingit multipliciter. Uno quidem modo, *per modum artis & doctrinæ generalis.* Sicut *per eruditionem Sacrarum Scripturarum* diligenti studio conquisitam. Sunt nimirum Scripturæ, in quibus putamus nos fidem habere, continentes artem
1. falsos Prophetas à veris & ab illusionibus revelationes cognoscendi.

Alius invenitur modus, *per inspirationem intimam* seu internum saporem,
2. sive per experimentalem dulcedinem quandá, sive per illustrationem à mentibus (montib°) æternis, effugantem tenebras omnis dubietatis. Hoc autem est manna absconditum & nomen novum in calculo scriptum, quod nemo novit, nisi qui acceperit. Hæc *Gregorius in Dialogo:* Hoc *Augustinus* de se ipso & matre: Hoc *Hugo de Arra animæ*, cum pluribus aliis notaverunt.

Probare spiritus si ex Deo sint, per Regu-
3. *lam artis generalem & infallibilem* pro particulari casu, non potest aut vix potest humanitus fieri. Sed requiritur *donum spiritus sancti*, quod Apostolus nominavit *discretionem spiritum.* Quo dono fit, ut mens nedum in se & de se sciat probare spiritus, si ex Deo sint: Sed etiam in aliis & de aliis scit. Hic autem est *modus tertius*, alius à prædictis, probandi spiritus. Quoniam *primus* est *doctrinalis*, *secundus* est *experimentalis*, *tertius officialis*, scilicet officio Hierarchico atque spirituali concessus.

Itaque sicut nemo novit quæ sunt spiritus, nisi spiritus, ita nemo cognoscit infallibili certitudine ea, quæ *per solam experimentalem notitiã vel sentimentum interius & sensum* aguntur *in alterius animo.* Quemadmodum ergo tradere Regulam generalem, quæ distingueret infallibiliter inter *visionem somnialem* & illam *quæ fit in vigilia*, nullus facile posset, propter varias similitudines inter utrasque visiones, multo magis in proposito. Scit nihilominus homo vigilans, se certitudinaliter & experimentaliter videre, quamvis von ignoret, se habuisse visiones valde vicinas & similes suæ vigiliæ, adeo, qvod, somnium suum narrare somniando quandoque videatur, quamvis dicat *Seneca*, esse vigilantis, somnium narrare. Scit similiter homo spiritualis, in vigilia veræ lucis divinæ positus, videre se divina, quæ videt, vere sentire, odorari & sapere. Qui, quia vigilat, potest nihilominus recogitare, ex se vel aliis, quæ nonnunquam potuit in quodam somnio naturalis cognitionis aut diabolicæ illusionis. Qui dum sic se habet & quodammodo dormit à divinis, putare potest quod vigilet ad ea, sicque falli.

Vidit hæc beatus Gregorius, asserens, *spiritus Prophetarum non semper esse in potestate vel distincta cognitione Prophetarum.* Probans hæc per *Nathan*, qui ad David, cogitantem ædificare domum Dei, respondit: *Omne quod est in corde tuo, vade & fac, quoniam Dominus tecum est.* Cujus contrarium ipsa nocte revelavit ei Deus.

Consid. 3. De cautione in Const. Concilio habenda quo ad Canonisationẽ sanctorũ.

Probare spiritus si ex Deo sint, ex primo modo, qvi magis est ad propositum, videlicet *per scripturam sacram & eruditos bonos in eadem*, (quia de perverse agentibus, quale judicium nisi perversum & illusivum reportare sperabimus?) contingit multis & sufficienter, quantum ad præsentem spectat materiam (militiam) & ad statum communem viatoris.

Qua super re nedum unum ab uno sed *plures* à diversis *tractatus* compositos invenimus, quos nunc manualiter habere fas esset, & diligenter inspicere, dum *in hoc sacro Concilio quæritur tractari de Canonizatione sanctorum & examinatione doctrinarum suarum*, præsertim unius quæ *Brigitta* nominatur *à Svecia* (assveta) visionibus, quas nedum ab Angelis, sed à Christo, & Maria & Agnete, & cœteris sanctis, familiaritate jugi sicut sponsus ad sponsum loquitur, se asserit divinitus accepisse.

Est autem utrobique vel in *approbatione* vel in *reprobatione* periculum.

Approbare enim falsas & illusorias, (aut frivolas visiones, pro veris & solidis revelationibus,) quid indignius? *Quid alienius ab hoc sacro Concilio?*

Reprobare nunc eas, quæ multifarie, multisque modis quaquaversum per diversas nationes probatæ dicuntur, non parva exinde scandalorum in Christiana Religione & devotione populorum formidatio. De-

Denique in ipso etiam *silentio & dissimulatione*, ex quo res in medium posita est, nonnihil esse discriminis pertmescimus. Invenire vero *medium* aliquod vel expediens interhæc extrema, laudabile quod sit an effectibile, necdum satis cernimus exploratum.

Probare spiritus per modum artis & doctrinæ, sicut tota deinceps versabitur intentio, *nemo* perfecte potest *per solam sacræ Scripturæ eruditionem*, qui non etiam *expertus sit in semetipso* variam affectionum spiritualium pugnam, tanquam ascenderit nunc in cœlos, nunc descenderit in abyssos, & viderit mirabilia Dei in profundo. Nam qui navigant mare hoc infinitum (mysticum) diversarum affectionum, quasi collidentium se fluctuum, enarrant mirabilia ejus. Inexpertus autem talium quid novit eorum? Hic autem est *quartus modus* probationis spirituum.

Consid. 4. Experientia propria opus esse, si quis velit judicare de visionibus aut revelationib°.

Vid. supr. Consid. 2.

Cæterum, puto, differentiam inter homines, quos loquimur, unum *Theologum*, alterum *contemplativum*, talem esse, qualis est inter *peritum* in arte medicinæ & inter *expertum* seu practicum in eadem. Quæ duo posse convenire in eodem, nullus dubitaverit. Sic fit & fieri potest, Domino propitio, ut idem sit *in Scripturis Sacris eruditus*, qui simul *in contemplationis exercitatione* probatus est. Hunc vero talem habere vult materia præsens, sicut alias scripsisse, cum de tractatu quodam *Spiritualium nuptiarum* sermo fieret, meminimus.

Probare vero Spiritus isto modo *doctrinaliter* dum quærimus in aliquibus (alienis) personis, quarum corda neq; videre neque scrutari datur, oportet, ut *ab operibus signa* sumamus, dicente Christo: *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Fallit tamen unum signum, vel pauca, si non uni (in unum) plura conglobaverimus. Ita enim tradit *Tullius*, ita *Boetius*, ita *Aristoteles*, in conjecturali causa faciendum. Sed quoniam infinita est hujusmodi signorum confusio, coarctemus ad pauciora, & dicamus sub hoc metro: *Tu quis, quid, quare, cui, qualiter, unde, require. Quis* sit, cui fiat revelatio. *Quid* ipsa contineat & loquatur? *quare* fieri dicatur? *cui* pro consilio detegatur? *qualiter* venire, & *unde* venire reperiatur?

Consid. 5. De regulis in visionum examine observandis

Probatio Spirituum dum quæritur fieri, consideretur inprimis *persona suscipiens visiones*, an sit boni & discreti judicii, rationis naturalis. Quia læso cerebro, turbatoq; judicio rationis, si læsus *phantasias patiatur*, non magnopere quærendum est, à quo spiritu veniant *melancholicæ illusoriæque visiones*. Ut patet in phreneticis, in ægrotis variis, qui vigilantes se talia videre putant, audire, gustare &c. qualia somniantes patiuntur.

Consid. 6. De constitutione & affectionibus personæ examinandis quæ visiones jactat.

Habet præterea *qualibet passio profunda suam lesionem*, suam ebrietatem, suum ut Origines loqvitur dæmonium. Patet in philotypis (philocaptis) in zelotypis & iracundis, in invidis & avaris. Unde Poeta:

An, quia amant sibi somnia fingunt?

Videatur ergo, si *persona* sit *novitia in zelo fidei*. Quia *novitius fervor cito fallitur*, si regente caruerit. Præsertim *in adolescentibus & fœminis, quarum est ardor nimis avidus*, veriusque effrenis, ideoque *suspectus*.

Rursus plurimum refert attendere, *qualis sit & fuerit persona, qualiter erudita*, quibus assveta, quibus delectata, cum quibus conversata? si dives vel egena?

In prima *superbiam* vel *secretam voluptatem*, in altera *fictionem* timebimus.

Super hæc omnia conveniret observare, ne lateat interior *superbia* (spiritualis) quam Bernhardus vere nominat *subtile malum*. Quoniam & *hæc de humilitate sua nascitur*, de sordibus & cilicio, de jejuniis & virginitate, religione, & de sua morte, suoque contrario trahit originem. Quid igitur erit tutum á superbia, cum nec ipsa virtus tuta sit ab ea?

Est autem *superbia* quædam *in intellectu*, dum non vult subjici alieno judicio, sed innititur proprio: Quædam *in voluntate*, dum renuit obedire. Et hæc citius deprehenditur, ideoque facilius corrigitur quam prima.

Probatio spirituum respicit nedum personam, quæ visiones patitur, sed *visionum qualitatem*, si *vera* sint omnia etiam usque ad minimam propositionem,

Consid. 7. De visionum jactatarum

indole spectanda.

nem. Quoniam in spiritu veritatis falsitas non est. In spiritu autem mendacii mille quandoque sunt veritates apertæ, ut in una latente falsitate decipiat dæmoniacos, ut Saulem pytonissa. (*Alias ita:* Hac ratione prohibuerunt à testimonio veritatis quam fatebantur, Christus Dæmoniacos & Paulus pytonissas.)

Si præterea sit in visionibus *sapientia*, quæ de sursum est, cum suis titulis, quos Jacobus enumerat. *Primum*, inquit, *pudica est deinde pacifica, modesta, suadibilis, bono consentiens, plena misericordia & fructibus bonis, & judicans sine simulatione.*

Si rursus excedant hæ visiones communem intelligendi modum, vel in scriptura sacra positum, vel in ratione naturali vel morali collocatum. Quia, si non, videretur illud adscribi frustra revelationi quod in scriptura sua semel Deus locut' est, Sicut Job loquitur. *Furiosum (onerosum) quippe esset, nedum vanum, visiones super visiones in immensum multiplicatas debere recipere tanquam ab ore Dei prolatas*, ac deinde certissima fide credendas. Sicque demum nostra fides, *nostraq; Religio, quam Deus*, teste Augustino, *voluit sub paucissimis contineri Articulis*, redderetur plus, absque ulla comparatione, quam lex vetus onerosa! Hinc *claræ memoriæ Magister Henricus de Hussia* comprimendam esse tot hominum canonizationem scripsit.

Vid. supra Tomo II. in Prolegom. *de hoc Viro plura.*

Hinc alia ratio sumitur. Quoniam *omisso divinarum scripturarum studio, magna pars Christianorum ad has visiones*, ideo placentiores quia recentiores, *converteret oculos & aures prurientes.* Sicq; necessaria nescirent, quod juxta Senecæ verbum, supervacua didicissent.

Unde visionum frequens studium tempore Const. Concilii.

Sint oportet in omni Revelatione Moses & Helias, hoc est, secundum venerabilem *Richardum*, testimonia legis & Prophetarum. Per totum alioquin suspecta est.

Et inde fit perspicuum, quam *necessarii sint Theologi in Canonizationibus sanctorum & examinatione doctrinarum.*

Cons. 8. Visionum examinator quomodo se gerere debeat, ergà visionem venditantes.

Probatio spirituum requirit ut *persona, cui visiones hujusmodi recitantur, habeat se prudenter & cautissime.* Præsertim in principio consideret acriter, *quare moveatur hæc persona, secretum suum pandere*, super quo fiet ista consideratio.

Cave ergo, quisquis eris auditor, aut consultor, ut *non applaudas tali persona.* Non obinde laudes eam, non mireris, quasi sanctam, dignamque revelationibus atque miraculis.

Obsiste potius, *increpa* dure, sperne eam, cujus sic exaltatum est cor & elati sunt oculi, ut ambulet in magnis & mirabilibus super se, ut digna sibi videatur, quæ non humano aliorum more operetur salutem suam, per doctrinam scilicet scripturarum & sanctorum, cum dictamine rationis naturalis, nisi consilium habere præsumat & putet, nedum ab Angelis, sed à Deo, nedum semel in necessitatibus, sed pene jugiter, velut in quotidianis collocutionibus.

Talem *admone, non sublime sapere* sed sapere ad sobrietatem. Quoniam verissime ait, qui dixit: *Superbia meretur illudi.* Et eo dignius, quia instar febris physicæ latentem hærentemq; ossibus superbiam, sicut nec Physicus febrilem calorem, superbus attendit. Qvid enim facilius, qvam se vilissimum peccatorem dicere? Sed vivaciter (veraciter) simpliciterqve ita sentire ex intimis, hoc divini muneris, non humani solius exercitii.

Enarrentur *Exempla sanctorum Patrum*, qvi curiositatem hujusmodi visionum vel miraculorum perniciosissimam fallacissimamque refugerunt. A qva se *Augustinus* liberatum *in suis Confessionibus* gloriatur in Domino. Qvam præterea Dominus *Bonaventura* abhorrendam nimis esse determinat, totoq; conatu repellendam, nunc orationibus, nunc increpationibus, seu flagellationibus, propriæ mentis & corporis: Exemplo illius, qvi ut tentatione careret superbiæ, qvæsivit & obtinuit à Domino, ut per tres menses dæmoniaca vexaretur obsessione.

Alter sanctorum Patrum, cum ipsi Dæmon, transfiguratus in Christum, diceret: *Ego sum Christus, personaliter te visitans, quia dignus es:* Confestim clausit oculos utraque manu, vociferans: *Hic Christum credere, satis esse ipsum in gloria se videre.* Moxqve disparuit.

Alter

Alter sub aliis verbis similem in hujusmodi illusione servavit humilitatem *Vide*, inquit, *ad quem missus sis. Ego certe talis non sum dignus hic videre Christum.*

Alterum qui nolebat intrare templum, dicens sibi satis esse, quod oculis corporeis aspexisset Christum, colligaverunt catenis, solvere jejunium, carnibus vesci, vinumque bibere compulerunt. Sicque timore compulsus (tumore compresso) sanatus est.

Objectio. Opponet forsitan aliquis ex Apostolo jubente: *Nolite*, inquit, *spiritum extingvere!* Si sit ergo visio à Spiritu sancto, quæ nihilominus repellitur, quid hoc est nisi Spiritui Sancto resistere, suamque nascentem gratiam suffocare?

Solutio. Sed profecto Spiritus Sanctus qui dat humilibus gratiam, nequaquam ex humilitate quàm prædiximus, se subtrahet. Intrabit potius & pro beneplacito suo deducet victor super excelsa animam hanc, in oculis suis vilem, & absq; ulla ruga fictionis humilem & simplicé.

Curiositas Porro dici non potest, quantum hæc *curiositas cognoscendi futura & occulta, & miracula videndi* vel faciendi, fefellerit plurimos & à vera Religione frequenter averterit. Hinc *superstitiones* in populis, quæ Religionem inficiunt Christianam. Dum, sicut olim Judæi, *sola signa quærunt*, dum *imaginibus exhibent latria cultum:* Dum insuper hominibus necdum canonizatis, *scriptis* quoque *non autenticis, plus quam scriptis in Evangelio præstant fidem.*

Superstitio

Conf. 9. De fine ac scopo visionum spectando. Probatio Spirituum considerat, *quare* fieri dicantur visiones, præsertim *quo fine*, nedum proximo, nedum aperto, sed occulto & longinqvo. Potest itaq; *finis proximus* apparere bonus & salutaris & devotus ad ædificationem aliorum, qui tandem prolabatur in multiplex scandalum; dum vel non respondebunt ultima primis, vel aliàs falsum fictumqve deprehendetur in personis fuisse, quod reputabatur sanctitatis & devotionis.

Johannes de Varennis. Docuit hoc ætas nostra de prædicationibus damnatorum *Johannis de Varennis & Johannis Hus*, & similium.

Joh. Hus. Rursus, dum aliqvid fieri potest per humanam industriam, sit hoc in vita sit in doctrina, qvare necesse est vel quærere vel expectare divinam cœlitus allocutionem? Hoc nempe tentationi Dei quam honorationi (venerationi) apparet similius.

Conf. 10. De observando sine, cur visiones recenseantur ab illis, qui hæ jactant. Cœterum *finis* attendendus est, quare fiat communicatio talium visionum alteri personæ, utrum *ad ostentationem*, vel ad necessitatem? utrum ad dandum vel recipiendum consilium? utrum fiat experto vel inexperto talium?

Qvod si videatur hæc persona quærere tantummodo *consilium*, ne fallatur, videndum est, num paratam se monstret *obedire consilio.* Alioqvin jam de curatione vix spes erit. Qvoniam, ut dicit *Johannes Climachus: Non jam eget dæmone tentante se, quia factus est sibi dæmon.*

Objectio. At vero, dicit aliqvis: Hæc idcirco persona non credit alieno judicio, quia de suo certa est per Revelationem intimam & secretam.

Solutio. Sed profecto, non est divisionis Deus, ut timenti se revelet unum, & per alterum, similiter timentem Deum, dicat unũ contrarium. Itaqve si visio ex Deo fuit, non dissipabitur inhumiliante se ab alieno judicio propter Deum, sed vigorabitur amplius & vivet (vincet).

Qvocirca tradimus pro *cautela*, qvod *in hujusmodi visionibus nedum suspensum teneatur judicium*, exemplo Beati Ambrosii & Luciani Presbyteri, sed dicatur reverenter cum Petro: *Exi à me, Domine, quia peccator sum, quia vilis sum, quia visionibus tuis indignus sum, quas hic neq; quæro, nec accepto, sed repello. Sit in alio (cœlo) & non in hoc seculo Visio tua tota merces mea, Domine Deus. Sed sufficit quantum ad me de Visionibus tuis in hac vita superiorum meorum monitionibus acquiescere. Mitte potius obsecro quem missurus es. Sine, (me) meus Spiritus humili degat (tegat) obscuroq; loco.*

Altera potest addi super hujusmodi visionibus recipiendis *cautela*, qualem *de somniis* tradidit unus, dicens: *Si monitiones aliqua bona*, inqvit, *fieri videantur in somniis, vel ex persona defunctorum vel aliunde recipiantur, eas non quasi somnia penitus abjicito, neque eis ex adverso velut autenticis vel divinis adhæreto. Recogitentur potius, tanquam rememorationes aliqua*

liqua ad faciendum bona, vel mala declinandum, juxta somniorum qualitatem.

Conf. II. De observanda vita & conversatione visionis jactantium.

Probatio spirituum considerat, *quomodo Persona*, quæ visiones se habere dicit, *conversetur*, an in secreto vel in publico, an in vita activa vel contemplativa, an in devotione nimia, quæ notam affert in vestimentis & cœteris? Aut si communem habeat conversationem, accommodam his, quibus convenit.

Hoc præcipuè considerare necesse est, *si sit mulier, qualiter cum suis confessoribus conversetur & instructionibus* seu collocutionibus intendat continuis, sub obtentu nunc crebræ confessionis, nunc prolixæ narrationis visionum suarum, nunc alterius cujuslibet confabulationis.

Expertis credite, nominatim Augustino ac Domino Bonaventuræ: *Vix est altera pestis vel efficacior ad nocendum vel insanabilior.* Quod si nihil haberet aliud detrimenti, nisi temporis prætiosi latissimam hanc consumtionem, abunde Diabolo satis esset.

Habet aliud scitote, habet *insanabilem videndi loquendiq;*, ut interim *de tactu* silentium sit, *pruriginem.* Evenitque illud de Didone apud Poetam:

- - - Hærent infixi pectore vultus
Verbaq;, nec placidam membris dat cura quietem.

Cum tamen in *pace* sit Dei locus. Nullus idcirco mirabitur si tales ad fabulas conversi avertuntur à veritate.

Si præterea *mulieres* hæ *curiose agentes* sint, quales notat Apostolus, semper discentes & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes. Ubi autē non est veritas, sit vanitas & falsitas necesse est.

Conf. 12. Spectandum unde veniat & quo tendat Spiritus.

Probatio spirituum considerat, *unde spiritus veniat, aut quo vadat.* Itaq; *Bernhardus* testatur, hoc in se nunqvam scire datum esse. Qvi tamen expertum se pluries asserit humiliter Sancti Spiritus præsentiam, ex intimo motu cordis sive mentis. Mirabitur igitur fortassis aliqvis, qvo pacto *persona status inferioris* dicat, *se frequenter agnoscere, unde Spiritus veniat.* Præsertim cum dixerit Christus Nicodemo: *Vocem*, inqvit, *ejus audis, & nescis unde veniat aut quo vadat.*

Magna difficultas discernendi visiones divinas à cogitationibus naturalibus.

Qvid porro, qvod *in spiritibus diversis multa in* spirationibus inveniatur similitudo. Est enim Spiritus Deus, Spiritus Angelus bonus, Spiritus Angelus malus, Spiritus humanus, tam rationalis qvam animalis. Potest autem *similis visio* spirari per qvemlibet hunc spiritū, suo modo, longeqve (tamen) diverso, sed diversitate faciliter perceptibili.

Qvæ similitudo non scitur apud *inexpertos* talium, qvi neqve per se ipsos ex acumine ingenii, neqve per eruditionem in Theologicis, vel Physicis disciplinis, neqve per aliorum traditionem sciunt talia distingvere certo.

Nec mirandum. Cum paucissimos inveniamus, *qui plene* sciunt *secernere cogitationes & affectiones rationalis animæ, ut rationalis est, ab illis, quæ sunt animales*, videlicet *in sensu communi vel organo phantasia.* Quem invenies, precor, ex timentibus Deum, peccataque fugientibus, qvi semper & in omnibus ad liqvidum prospiciat, dum tentationes urgent (vigent) num sensus eorum sit tantummodo in imaginatione, vel consensus in ratione? Adeo *non facile est discernere sensum à consensu.* Qvanto plus habet difficultatis probatio qvadruplicis prænominati spiritus. Dum scilicet instinctus unus vel inspiratio vehemens tangit mentem: Si sit à Deo, vel ab Angelo bono, aut malo, vel à proprio *spiritu humano.* Cujus rursus *portio duplex*, superior & inferior, descripta est. Cujus sentire divisionem, perfectè dat illud verbum Dei, qvod pertingit usq; ad divisionem spiritus & animæ. Qualem in se divisionem passa erat, qvæ exclamavit: *Magnificat anima mea Dominum.* Dehinc secernens spiritum ab anima, subjunxit: *Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.*

Hæc interim sub compendio cursim notata sint, quatenus, dum ad singularia descendendum erit, facili hac occasione sapientiores dijudicent: Persvasū habentes, vivere hominem, cujus nomen sit in libro vitæ, cui pluries & in pluribus personis hujus temporis datum est experiri & practicare omnia, quæ dicta sunt. Et sic est finis. Deo gratias. Amen.

(o)

TOMI